

1499 tibus propter temporis angustias rempublicam versari , quod Bajasetis classis vela jam facere dicebatur , polliciti sunt , si eis frumentum & tormenta subministrentur , se se gripes sexaginta suis hominibus suaque pecunia ornatus , quibus Antonius eo bello uti posset . quod quidem Corcyrenium auxilium opportune oblatum Senatus libentissime accipiens , numum aureum in singulos eorum qui conscenderent , ad ea quæ petierant Corcyrenses , etiam addidit . Jamque ab Hiadertinorum magistratu literæ ad Senatum datae certiores Patres fecerunt , Turcas equites ad duo millia incursions in eorum fines fecisse , magnumque agrestium hominum numerum abegisse ; neque postea discessisse , sed ibidem consedisse . quæ res omnem dubitationem expulit , quo esset classe rex irrupturus , cum in fines reipublicæ terrestres copias induxisset . nam eum non nulli Rhodiis bellum esse illaturum etiam nunc arbitrabantur . Lecti itaque legati duo , Franciscus Ciconia , qui in Aetolia & Achaja reipublicæ oppidis præfesset : Andreas Lauredanus , qui Corcyra : tum Andreas Zançanius item legatus cum præsidio in Carnos missus , cum Patres eo etiam ab latere Turcas impetum facturos comperrissent . Latum etiam , ut biremes complures ornarentur , quæ maris Hadriani præsidio essent contra biremes Turcarum , quas Eloi fluminis ostio Aulonem deductas Senatus intellexerat : eisque biremibus Augustinus Mari petrus præfectus datus cum trireme una , quam ipse conscenderet . Ob eas res atque bellum , quod quidem fore omnium , quæ civitas cum Turcis unquam gessisset , maximum & formidolosissimum videbatur , aucta per Senatum urbis vestigalia sunt parte ex tertia , vini , panis , carnis portoriis tantummodo exceptis : atque uti magistratus omnes urbani provincialesque medium stipendiiorum partem unius anni reipublicæ remitterent , lex lata : cautum tamen , ne quadragintaviralia judicia ea lege tene rentur . Lecti etiam viri , qui censum civibus omnibus pro cuiusque opibus decernerent , ea conditione , ut is quem decrevissent , reipublicæ a quoque civi census dona retur ;

Venetorum
in Turcas
apparatus.